



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Collegium Universi Juris Canonici

Engel, Ludwig
Salisburgi, 1693

4. Ne Prælati vices szas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61596)

h. t. c. penult. de Elect. extravag. 2. h. t.

Simoniae confidentialis poenas statuit Pius IV. in Bulla, *Romanum Pontificem*: & Pius V. in Bulla, *Intolerabilis* &c. ut annullata tali simoniacâ collatione & reservato illo beneficio sedi Apostolicæ, Episcopi & superiores committentes hanc simoniam, interdictionem ingressus in Ecclesiam, inferiores autem excommunicationem reservatam incurrant, & præterea ille, qui beneficium simoniacè accepit, non tantum inhabilis fiat ad idem beneficium postea obtinendum, sed etiam omnibus beneficiis prius obtentis privetur, quod tamen DD. non de privatione ipso iure, sed per sententiam iudicis intelligunt cum *Leif. d. c. 35. dubio 26.* Istud quoque adnotandum est, quod ad incurrendas poenas simoniae *confidentialis* non requiratur, ut contractus ex utraque parte sit impletus, quia refertur ad diversa tempora, unde sufficit, si Episcopus hoc pacto beneficium contulerit, & alter acceptarit, ut v. g. postquam questum resignetur consanguineo Episcopi, quavis illa resignatio necesse non interveniat.

Sciendum postremo, quamvis alias de iure civili in contractu turpi, si tam dans, quam accipiens turpiter seu contra bonos mores egerit, melior dicatur conditio possidentis. *Ubi Cod. de Conditione ob turpē causam.* tamen in contractu simoniaco rectè per sententiam iudicis imperari posse, ut pretium Ecclesiæ injuriatè vel pauperibus, aut alijs pro causis restituatur. *c. audirimus h. t. qua de re videri poterit Cov. cit. loco s. 2. tit. 4.*

TITULUS IV.
Ne Prælati vices suas vel Ecclesiæ sub annuo censu concedant.

SUMMARIA.
1. Ratio prohibitionis hujus Tit.

2. Poena contra venientibus statuta.

FX hoc titulo confirmatur, quod in superiori tradidimus, videlicet jurisdictionem Ecclesiasticam esse materiam Simoniae, unde hic prohibentur Episcopi, alique Prælati, ne vices suas, id est, suam jurisdictionem, vel etiam quodcumque aliud Ecclesiasticum officium, ut Vicariatum, Archipresbyteratum, Decanatum, &c. alijs vendant pro temporali pretio, vel concedant sub tali onere, ut ipsis annua pensio solvatur. Rationem etiam convenientiæ addit Barb. *in c. 2. h. t. n. 2.* ne illi, qui sua officia pecuniâ acquisiverunt, gravent homines poenis & exactionibus pecuniariis, aut alijs modis potius lucro proprio, quam spirituali fidelium comodo intendant. Quare magis congruit, ut Episcopus det suo Vicario & Officialibus sufficiens beneficium vel stipendium pro labore, quem habent in administratione officij, ut ita gratis & sine querela iustitiam subditis exhibeant. Poena hujus prohibitionis statuitur, ut officialis redimens officium pecuniâ privetur illo, & a Prælato potestas conferendi tale officium auferatur; quam tamen poenam non ipso iure, sed per sententiam iudicis infligi, latius colligitur, *ex c. 1. & 2. h. t.* ubi textus non dicit, privatus sit, sed privetur, scilicet per iudicem superiorem,

TITULUS V.
De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

SUMMARIA.

1. Quid nomine Magistris hic intelligatur?
2. Quales Magistri in Ecclesiis cathedralibus de iure, maxime Tridentini debeant constitui?
3. Magistri Theologiae etiam absentes gaudent fructibus suorum beneficiorum.
4. Et quid de altarum Facultatum Magistris?
5. Magistri Theologiae, si in sua Ecclesia doceant, habentur etiam praesentibus in Choro.

D d d d d 2 6. Clerici